

LIBER TERTIUS

In hoc Libro Codex pro more suo praemittit canones introductorios de Ecclesiae munere docendi, dein in titulis I-V agit de divini verbi ministerio, de actione Ecclesiae missionali, de educatione catholica, de instrumentis communicationis socialis et in specie de libris, de fidei professione.

De Ecclesiae munere docendi (747-755)

Potestas magisterii Ecclesiae continetur in potestate iurisdictionis, ut iam explicatum est in Libro secundo.

Hoc loco agendum est de exercitio magisterii, cui tractatui canones praemittunt principia de potestate docendi.

Munus Ecclesiae sanctificandi tractabit Liber quartus.

Christus Dominus in Ecclesia magisterium authenticum et infallibile instituit et Ipsi fidei depositum concredidit, ut – Spiritu Sancto assistente – doctrinam revelatam custodiret et omnibus gentibus fidem propagaret independenter a qualibet civili potestate.

Ecclesiae jus et officium est evangelicam doctrinam docendi.

Nemini umquam fas est homines adducere per coactionem ad amplectendam catholicam fidem.

Ecclesia veritates revelatas proponit in definitiva cathedratica per loquentem Romanum Pontificem, ratione omnium fidelium doctorem et pastorem summum, per oecumenicum episcoporum Concilium, per Episcopos quando per orbem dispersos, servantes nexum communionis inter se et cum Pontificem, in unam sententiam definitive tenendam conveniunt.

Nulla doctrina infallibiliter definita intellegitur nisi manifesta.

Delicta contra fidem sunt: Haeresis, apostasia et schisma.

Haereticus est qui post baptismum receptum pertinaciter aliquam

ex veritatibus fidei divinae et catholicae credendis denegat.

Apostata est qui post receptum baptismum totaliter a fide christiana recedit.

Schismaticus est qui baptismum receptum subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae, Romano Pontifici subiectis, communicare recusat.

Extra oecumenicum Concilium Episcopi, qui in communione cum Collegii capite et membris, authentici sunt fidei doctores et magistri, quorum magisterio christifideles adhaerere tenentur.

Episcopis et eorum Conferentiis officium pertinet fovere, promovere unitatem et impertire practicas pro motu oecumenico, attentis praescriptis a suprema Ecclesiae Auctoritate latis.

ANNOTATIO: Primum invenitur ad hoc nova argumenti collocatio respectu Codicis 1917. Deinde intellegitur: Confirmata Romani Pontificis infallibilitate magisterii, canones de quo affirmant non solum infallibilitatem oecumenici Concilii sed etiam episcoporum Collegii.

De divini verbi ministerio (756-780)

Codex distinguit eos quibus munus fidei catholicae praedicandae est divinitus commissum, aliosque qui a prioribus missionem recipere debent.

Munus fidei catholicae praedicandae commissum praecipue est Romano Pontifici et episcoporum Collegio per universam Ecclesiam, Episcopis per suas Ecclesias particulares, quandoque vero aliquis Episcopis coniunctim per diversas Ecclesias ad normam juris. Officio praedicationis satisfaciunt quoque presbyteri, qui quidem Episcoporum cooperatores sunt, et diaconi, sed proprie praesertimque parochi et omnes quibus cura animarum concreditur.

Ad Episcopo in auxilio magisterii convenienter assumuntur sodales Institutorum vitae consecratae et christifideles laici debite eruditi.

Praedicatio atque catechetica instructio principem locum imprimis tenent. Ad doctrinam christianam annunciandam varia media adhibeantur, v.g. prelum aliosque instrumenta communicationis socia-

lis. Inter praedicationis formas eminent homilia, Episcopo et sacerdoti aut diacono reservata, quae omitti nequit in omnibus Missis diebus dominicis et festis de praecepto, et habetur etiam in Missis quae infra hebdomandam celebrentur cum concursu sufficientis populi.

Praedicatores doctrinam proponant modo accomodato conditioni auditorum et aptatam ratione temporum necessitatibus.

Animarum pastores debent, secundum normas ab Episcopo dioecetano latas et certis temporibus, exercitia spiritualia et sacras missiones ordinare necnon providere quoque ut Evangelii nuntium ad non credentes in territorio degentes perveniat.

Sed principaliter curare debent catechetica instructionem apud pueros, adultos, iuvenes et christifideles, qui ad primam receptionem Sacramentorum prope accedunt.

Ordinarii loci quoque curent catechistae formationem ut ad munus explendum debite suppediat.

ANNOTATIO: Post tradita principia generalia de munere docendi in Codice duo tituli deputantur: primus divini verbi ministerio, alter actioni missionali. In primo eminent participatio laicorum respectu divini verbi ministerii et inde maxime momenti patet instructio catechista.

De actione Ecclesiae missionali (781-792)

Ecclesia, obsecundans omni tempore mandato Christi: «Euntes (ergo) docete omnes gentes», natura sua missionalia est et fundamentale officium evangelizationis habet, quod omnes christifideles assumunt.

Operis missionalis suprema directio et coordinatio Romano Pontifici et episcoporum Collegio competit.

Singuli Episcopi opera missionalia in propria Ecclesia particulari sollicitudinem habeant, foveant ac sustineant.

Sodales Institutorum vitae consecratae et missionarii cum catechistis laicis obligatione tenentur ad dictam operam.

Actio proprie missionalis apud populos vel coetos, ubi nondum Ecclesia radicata est, ab Ecclesia absolvitur per Evangelii praecones donec plene constituatur.

«Qui voluntatem amplectendi fidem in Christum manifestaverint» ad catechumenatum admittantur et introducantur in vitam fidei, liturgiae atque apostolatus, secundum statuta a Conferentia episcoporum lata.

In territoriis missionis Episcoporum dioecesanorum onus est promovere, curare opera quae ad actionem missionalem spectant.

In singulis dioecesibus Episcopi vocationes missionales foveant.

Episcoporum Conferentiae opera missionalia instituant et promoveant.

ANNOTATIO: Omnes christifideles partem suam in opera missionali assumunt.

De educatione catholica (793-821)

Praeter Verbi Dei praedicationem, exercitatio magisterii fit imprimis in scholis, sed parentes jus habent nativum propriumque ad prolem educandam. Munus enim filios instruendi immediate spectat ad parentes, habentes officium eligere libere media et instituta catholicae educationi aptiora. Sed quia singulari ratione officium et jus competit in Ecclesiam, animarum pastores omnia disponant ut omnes fideles educatione catholica fruantur.

Ecclesia ex titulo divinae missionis sibi vindicat jus ad scholas cuiusvis disciplinae generis et gradus condendas ac moderandas. Proprie ad eas satagant Instituta religiosa.

Schola catholica intellegitur ea quam Auctoritas ecclesiastica competens agnoscit.

Episcoporum Conferentiae edicant normas generales et loci Ordinarii deputentur in scholas, etiam non catholicas, magistri recta doctrina atque arte paedagogica praestantes. Ordinariis loci pro sua dioecesi jus est nominandi, approbandi, amovendi magistros religio-

nis; invigilandi et invisendi scholas catholicas.

Quoad scholas superiores aut studiorum universitates, jus est Ecclesiae erigendi et moderandi per episcoporum Conferentias aut Apostolicam Sedem.

Episcopus dioecesanus provideat ut apud universitates, etiam non catholicas, centra universitaria catholica habeantur, quae iuventuti auditorio spirituali sint.

Particularia praescripta statuunt canones 807-813 respectu studiorum Institutorum superiorum et catholicarum Universitatum.

ANNOTATIO: Parentes obligatione adstringuntur et jure gaudent prolem educandi. Apud Universitates civiles centra catholica habeantur pro salute iuventutis spirituali.

De instrumentis communicationis socialis et in specie de libris (822-832)

Fides catholica non solum viva voce in concionibus et scholis sed etiam scriptis propagatur, conservatur et defenditur.

Pericula ex pravis instrumentis communicationis socialis et libris provenientia remove Ecclesia studet per praevidiam librorum censuram et vigilantiam in usu instrumentorum.

Instrumenta communicationis socialis Ecclesiae pastores satagant et fideles solliciti sint operam adiutricem praestare.

Ut veritas fidei morumque integritas servetur, officium et jus est Ecclesiae pastoribus invigilandi et exigendi ut scripta, quae fidem moresve tangant et a christifidelibus edenda, eorum iudicio subiciantur; secus reprobationem habeant quae noceant.

Officia et jura dicta sunt Episcopis tum singulis tum in Conciliis particularibus adunatis.

Approbatio ad libros edendos est loci Ordinario proprio auctoris aut sedis editionis.

Libri sacrae Scripturae edi non possunt nisi de licentia Apostolicae Sedis aut Conferentiae episcoporum.

Licentia non declarat librum esse verum, nullum in eo contineri errorem, sed tantummodo esse innoxium. Approbatio e contra declarat vera in libro continere et consociat eius iudicium.

Episcoporum Conferentia probante, christifideles catholici parare et edere possunt versiones sacrae Scripturae cum fratribus seiunctis.

Ne edantur nisi de licentia loci Ordinarii libri liturgici, libri precum, catechismi, libri qui respiciunt institutiones religiosas, sacram Scripturam, theologiam, disciplinam religiosam aut morales.

Ab episcoporum Conferentia confici potest elenchus censorum aut Commissio censorum, cognoscentium scripta edenda et loci Ordinarios adiuvantium.

Nisi iusta et rationabili de causa ne conscribant christifideles clericique in libellis aut foliis periodicis, quae manifesto impetere solent religionem catholicam aut bonos mores.

Scripta sodalium Institutorum religiosorum, tractantia quaestiones religionis morumque, licentia quoque egent Superiorum maiorum.

ANNOTATIO: Christifideles catholici parare et edere possunt versiones sacrarum Scripturarum cum fratribus seiunctis. In examine libri edendi circulus censorum auctus est.

De fidei professione (833)

Ecclesia sapienter professionem fidei interdum a fidelibus exigit, praesertim a magistratibus ecclesiasticis. Statuit ut ad professionem emittendam obligentur: omnes qui Concilio oecumenico vel particulari, Synodo Episcoporum atque Synodo dioecesanae intersunt; promoti ad episcopatum, ad cardinalitiam dignitatem; administratores dioecesani; vicarii generales, episcopales et iudiciales; parochi, rectores et magistri Theologiae et Philosophiae in seminariis; promovendi ad ordinem diaconatus; rectores Universitatum ecclesiasticarum; docentes disciplinas ad fidem vel mores pertinentes in ipsis Universitatibus; superiores in Institutis religiosis et Societatibus vitae apostolicae clericalibus.

ANNOTATIO: Perscriptio professionis catholicae fidei haec est:

«Ego N... fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato: passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in coelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos: cui regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationis et constitutiones firmissime admitto amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum sollemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata

fuerunt, amplecto et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum animam et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi Vicario veram oboedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definitiva ac declarata, praesertim de Romani Pontifici primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque haereses quascunque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit curaturum, ego idem N... spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia».